



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# De Ivstitia Et Ivre ceterisq[ue] Virtutibus Cardinalibus

Lessius, Leonardus

Antverpiæ, 1632

Dvb. 1. Quid sit furtum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72459)

## CAPVT DVODECIMVM.

De iniurijs fortunarum, per furtum, rapinam, damnūve illatum:  
& de necessaria restitutione ob hanc causam.

Constat Dubitationibus 20.

## DVBITATIO PRIMA.

Quid sit furtum.

D. Thomas q. 66. art. 3.

<sup>1</sup>  
Furtum  
quid.

**R**ESPONDEO, Iurisperiti sic definiunt: *Furtum est contractatio rei fraudulosa, lucri facienda gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus, possessionisve.* Ita habetur L. i. §. Furtum. 7. de furtis. & Institut. de obligationibus, quæ ex delicto. §. 1. quam supplet & explicat Nauarr. cap. 17. n. 1. Clarius & breuius Theologi, *Furtum est occulta rei alienæ acceptio inuito domino.* Hac definitio habet tres partes. Prima est, *occulta*, ut distinguatur à rapina & alijs iniustis acceptionibus, per iniquos contractus. *occulta enim acceptio est*, quæ fit domino nesciente, vel quam quis intendit facere domino nesciente. In contractu autem non intendit contrahens aliquid tollere domino nesciente; quamuis non cupiat ut dominus aduertat rei iustitiam.

Dices Primò, Qui accipit rem, domino vidente, non accipit occultè, & tamen committit furtum: ergo.

Resp. Si sciat dominum videre, & non curet, potius committit rapinam quam furtum: si autem ignoret dominum videre, est furtum; quia intendit ipso nesciente accipere, ita ut aliter noller.

<sup>2</sup> Dices Secundò, Detentio rei alienæ habet rationem furti: ergo non tantum consistit in acceptione.

Resp. Detentio est instar acceptionis; quia acceptio & accepti detentio moraliter censetur eadem actio. quòd si quis id, quòd iuste accipit, postea iniquè retineat, perinde facit, ac si primò tunc iniuste acciperet. vide D. Thomam in respons. ad 2. & Caiet. ibid.

<sup>3</sup>  
Occultum  
& manifestum.

Dices Tertio, Crimen non accipit speciem ex eo quòd sit occultum: ergo de ratione furti non est ut occultè fiat.

Resp. Quando quis in iniuria inferenda vitur modo occulto, tanquam medio ad exequendum opus, facit speciem distinctam à manifesto, quia tunc occultum & manifestum continent diuersas iniurias. Hac ratione furtum differt specie à rapina, & dolosa inuasio à manifesta, & contumelia à detractione. Si autem utatur modo occulto ob verecundiam, vel ad vitandum scandalum, aut supplicium, est circumstantia generalis.

<sup>4</sup> Secunda est, *rei alienæ*; quia acceptio rei suæ quæ est apud alienum, non est furtum, saltem quæ suæ; quamuis possit esse furtum quatenus illa res est alteri commodata vel oppignorata; tunc enim auferitur illi usus, vel securitas, quam per illam rem habebat.

Tertia est, *inuito domino.* Si quis enim putaret dominum non displicere, non esset furtum, quamuis occultè illud acciperet; eò quòd per verecundiam vereatur petere; debet autem esse cum ra-

tionem inuitus. vnde qui occultè accipit in extrema necessitate, non est fur. Item qui compensandi causa, quando aliter quod suum est recuperare nequit. Addunt aliqui, *rei corporalis & mobilis*; sed melius omittuntur: nam potest quis etiam furari iura; ut census & seruitutes, & res immobiles, occupando domum vel agrum alienum, domino absente.

Ex his patet Primò, Eum, qui accipit hominem liberum, v. g. uxorem vel prolem alicuius, non

committere furtum; quia homo liber non habet dominum à quo possideatur: sed dicitur committere plagium; seu crimen *plagiatus*, si fiat ad vendendum, vel ad retinendum in mancipium; si verò fiat ad fruendum, dicitur *raptus*: quæ proprie non sunt species furti. Quòd si quis furetur ancillam vel mancipium, ut illud vendat, erit verum furtum; quia est acceptio rei alienæ, quæ aliena; intendit enim eam accipere ratione utilitatis temporalis, quæ est domini. si autem furetur, ut ad tempus abutatur, non dicitur furtum; quia illa ancilla secundum illum actum non subest dominio alterius, nec ipse querit in ea id quod alterius est, sed quod ipsius ancillæ. Infert quidem damnum domino, dum priuat ancillæ obsequio; sed non omnis damnificatio est furtum. Quamuis enim furtum non sit peccatum, nisi quia infert alteri damnum, priuando eum re sua, contra ipsius rationabilem voluntatem: (si enim vna eademque res in duobus locis esset, vel à duobus possideri integrè & vsurpari posset, nullum peccatum committeretur) tamen non omnis damnificatio est furtum; sed differunt hæc saltem materialiter. furtum enim postulat acceptionem seu vsurpationem, qua quis rem sibi vindicet; et si ad breue tempus, & animo eam paulò post abiiciendi: quo modo Augustinus furabatur poma, vnde qui incendit alterius segetes, non est fur, tamen damnum infert; nec minus peccat, quam si eas auferret.

Patet Secundò, Eum, qui rem sacram accipit, aut profanam in loco sacro, tanquam in asylo depositam, committere peccatum furti; quia accipit alienum inuito domino; quamuis huic furto coniuncta sit malitia sacrilegij, quæ quia præcipua est, ei nomen tribuit. Sunt tamen in hoc peccato duæ malitiæ distinctæ contra duas distinctas virtutes.

6

Differunt furtum & damnificatio.

7

Sacrilegium.

8

## DVBITATIO II.

Utrum furtum & rapina differant specie.

D. Thom. art. 4.

**R**ESPONDEO, specie differre in ratione iniuriæ. ita D. Thomas & Caietanus. Ratio est;